

a successoribus nostris si fieri contingat, quod non credimus, populos ecclesie tam episcopi, quam capituli mercimonia sua emendo, vel vendendo, dare non compellantur pro eadem, nec etiam monetarii ad aliquod forum episcopi causa exercende monete accedere aliquomodo presumant, & si inventi fuerint, per quadraginta dies capti ab officialibus episcopi in carcere detineantur, omnes res, quas tunc erga se habuerint, amittendo. Hec igitur omnia predicta a Nobis & predecessoribus nostris statuta, que ab eis et a Nobis usque nunc sunt observata, sic firmiter imperpetuum a filiis & heredibus nostris volumus observari, ut in nullo excedere videantur, attentando aliquid contra Jura predicta tam a nobis, tam a fratre nostro felicis recordationis Rege Emerico, quam etiam a fundatore predictae ecclesie sanctissimo rege Ladislao, vel etiam ab aliis heredibus sive Ducibus suis concessa & collata; et si quis Banus, sive Dux, aliquid contra predicta Jura attentare presumserit, quod non credimus, si fuerit de Regali progenie, paterna maledictione incomprehensibilis amaritudinis in perpetuum percutiatur & nunquam ad coronam, quam hereditario iure habere debebat, attingere possit, sed toto tempore vite sue sit vagus & profugus, suisque se sociari non valens, sed semper aliena mendicans. Si autem fuerit de nobilibus hungarie, & citatus fuerit ab episcopo ad regis presentiam, ante quam episcopo respondeat, quinquaginta marcas fisco regio, et alias quinquaginta marcas episcopo, rege eodem fortius compellente, persolvat. Ut igitur hec omnia que a nobis, & ab omnibus predecessoribus nostris sunt collata et concessa, nostris nostrorumque successorum temporibus irrefragabiliter salva semper et inconcussa in perpetuum possint permanere, sigilli nostri videlicet auree bulle munimine fecimus roborari. Datum per manus magistri Vgolini aule regie cancellarii, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo septimo. etc.

Originalinis membr. in Archivio A. Episc. Zag. — Kerčelić. Hist. Ep. Zag. p. 327. — Farlati: Illyricum Sacr. T. V. p. 358. — Fejér. Codex Dipl. T. III. p. 210.

(Idem Privilegium confirmarunt Rex Bela IV. a. 1269, Rex Stephanus a. 1272, Carolus Robertus a. 1318 et Rex Ladislaus IV. a. 1492. Originalia asservantur in Archivio Archiepiscop. Zagrab.)

XL.

Anno 1218.

Privilegium princeps liberorum Comitum Regni Croatiae, in quo Generalium Congregationum Comitatum primo mentio fit.

In nomine sanctae Trinitatis et individuae Unitatis. Andreas Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriaeque Rex